

**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotioне boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

De Paupertate sectanda. Cap. 15.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](#)

Bonu.  
de sexalii  
Seraph.  
c.

immisericorditer tractent, & in suis agitudinibus tribulent. Audiant quid dicat Bonaventura: Bonus autem praefatus agnoscit se fratrum suorum patrem, non Dominum: & exhibet se eis medicum, non tyrannum: nec reputat eos ut iumenta sua, vel seruos emptionis, sed ut filios hareditatis supernae consores: & facit eis, sicut veller libi fieri, si similiter indigeret. Sed fortis, & fani non sentiunt, quod sentit ager, ideo nesciunt ei comparari, scient autem postea, cum dolebunt. Sic ille. Et haec dicta sunt non ut prelatos ad laxitatem incitemus, quam sane maximo odio prosequimur, sed ut ad misericordiam, & pietatem, & paupertatis amorem moveamus. Quæ sine dubio in religione tunc viger, cum singulis necessaria ministrantur, ex quibus possint ipsi, aliquid sponte detrahere, & gratissimum Deo mortificationis sacrificium offerre.

### De Paupertate sectanda.

#### CAPUT XV.

**R**AVERTAS hæc in superioribus à nobis utrumque depicta, & oculis virorum iustiorum proposita, fructus est vnu ex tribus præcipuis, quos pinguis, & fru-  
giter hortu nostru status profert; gemma est vna ex tribus pulchrioribus & pretiosioribus, quibus vene-  
rabilis religio mater nostra dilectissimas filias suas iustiorum religiosorum animas ditar, & ornat; via est vna ex tribus amerioribus & securioribus, quas ani-  
mæ ipsa conficiunt, ut ad caducis ad eterna, à visibili-  
bus ad inuisibilia: à terrenis ad cœlestia condescendat. Paupertate, à curis & molestiis saeculi liberamur, ut possumus in curâ salutis spiritualis incumbere. Pauper-  
tate, aduersus diaboli insidias munimur, & la-  
queos diuitiarum ac fonearum terrenarum vale-  
mus effugere. Paupertate, superbiam status nostri pe-  
stem eludimus, & facile est nobis tamquam acci-  
dit, & expeditis, ad perfectionis fastigium properare. Quid nos diuitibus huius saeculi venerabiles, &  
dæmonibus formidabiles facit? Nonne Paupertas? Quid religiosos omnium rerum dominos facit, & vt nihil habentes omnia possideant? Nonne Paupertas? Quid Deū potentissime & efficacissime aduo-  
cat ut speciali prouidentia illorum curam habeat,  
ipsiusque prouideat? Nonne sponte susceptra & voto  
firmata paupertas? Hæc nos reficit atque sustinet,  
& quicunque ingrediamur, non importunis vocibus & superbis, sed Dei instinctibus clamat, ut cultoribus suis necessaria præbeantur. Hæc nos fouet &  
ornat, ac insignia seruorum Dei, vestimenta scilicet Deo dicata, & fidelibus grata, ministrat. Hæc nobis domos amplas & spaciolas preparat, & ubique ter-  
ratum tamquam ciues nobilissimos sati commodo  
hospitio excipit, & hinc emigantes sedibus colesti-  
bus infert. Paupertate dilectissimus, & quo verius sa-  
eculi facultates contemnimus, eo ditiores & abundan-  
tiores à saecularibus astimamur. Paupertate prote-  
gimur, nemōque est, qui à nobis per iniuriam au-  
ferat, quod liberant abieciimus, & ab habitaculis no-  
stris explosimus. Paupertate, more nobilium summo  
regi Deo magna obsequia præstamus, quia ei non  
tantum quod possidebamus, sed quidquid mundus  
haber, offerimus. Sacrificiorum nobilissimum est  
holocaustum, quo totum animal in diuinum hono-  
rem incenditur, & abdicatione omnium rerum quasi  
totus iustus domino confeatur. Si pro Christo, quia  
persecutor non instat, minime sanguinem fundit, at

A facultates, quibus sanguis ipsi agetur, & que non minus quam sanguis solēt diligi, in usum pauperum confert. Pauper liber est, quia diuitiarum compedes, & vincula fregit; tranquillus est, quia solicitudinum & perturbationum materiam depositus; ingenuus & nobilis est, quia se Deo familiaritate, & Christo filio eius ac sanctis omnibus se imitatione coniunxit.

Ascendamus ergo gradus huius scalæ cœlestis, per quam Angelii ad nos iuuandos descendunt, & angelii id est, viri spirituales, atque perfecti in cœlum ascendunt. Ne nos perterrefaciat angustia eius, quia licet primo aspectu arcta & angusta videatur, tamen post paululum magnam latitudine habet, & in spacia amplissima & latissima definit. Terret nos terrena descerere? Anmet nos cœlestia conquiretere. Retrahit nos nuditatem sentire? impellat diuinam protectionem & amabilissimam patris nostri, qui in cœlis est, prouidentiam experiri. Auocat mundo mortis instiger, Deo sine sollicitudine viuere, & regnum cœlestis, quod opum dimissione mercamur, comparare. Qui nondum ausus est sua vota relinquare, & posse fideli libertatem abiicere, audeat, quia illud facinus aggreditur sanè egregiū, & æterna memoria dignū, ad quod Deum ipsum habet adiutorem. Qui opus hoc fecit, & voto se paupertatis obstinaxi, sciat se verbis oris sui ligatum esse, verba sua implet, & nihil proprium possidens, & promissis flans, se virum fidelis & strenuum ostendat. Superflua alacriter referat, quoniam noxios & pestilentes humores agitudinem animæ afferentes excludet. Necessariis immoderatè non hæreat, ne qui cor Deo mundum & intaminatum seruare debet, foribus illud affectionum terrenarum inficiat. Discat, indigentiam, & penuriam rerum corruptibilem sustinere, ut è thefauro miserationis diuinæ abundantiam supernarum consolationum deppromat. Si corpore infirmo, & imbecilli necessaria defuerint, pro certo sciat, diuinam benicitatem non defuturam, quæ rebus communibus pretiosiora suppleat, & sine magnis sumptibus à paupere postulatis, si opus fuerit, lanitatem faltemque restituat. Ac tandem se quantum potuerit terrenis exuat, ut Deus illum tranquillitate vestiat, & sanctitatis muneribus induat. Qui huiusmodi fuerit, non dubitet mercedem paratæ esse operi suo. Nam pro quatuor obolis perituri, non alios similes cum usura illicitè acceptos, sed thesaurum incomparabilem in celo percipier, quo ita auctum ac multiplicatum se sentier, ut nec stilla huius thesauri pro toto mundo perdidisse voluerit. Pro nonnulla indignitate, quæ in oculis insipientium paupertatem comitatur, judicariam potestatem, & fedem cum Christo æterno iudice ad mūdum iudicandum obtinebit. Ibique stulti evidenter aspiciunt quanta sit dignitas paupertatis, quam Deus facit semen ranta potestatis, & gloria. Tandem ea quæ pro Domini amore deferunt, centuplicata illi restituentur, & nihil inuenient à se relictum, quod non à curis & molestiis liberum, & in immensum multiplicatum repetiat: nam omnia creati illi ad bonum seruient, & in illa vita cœlesti, quam nulla mors obnubilat, in æternum gaudebit. Eia igitur facti status ac religiosi professor, castissimam paupertatem in spōsam assume, cuius gratia claritatem habebis ad turbas, & inter nobiles, id est, inter spirituales viros, non in infimo loco sedebis. Dilige illa, quæ multorum ac magnorum honorum origo est, ex qua incorruptus manens pulcherrimos liberos sanctorum operum procreabis, ex quorum educatione nullam molestiam, sed molestiarū leuamen accipies. Hæc est, ut Nazianzenus ait, virtutum omnium commodatissimum instrumentum, quam

cum

cum amplecteris, sine tristitia, aut iniuria illius, cunctas virtutes amplexatis, & fructibus earum imbueris. Tu ex illis es, quibus sic locutus est Dominus: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virginem. ] Tibi, inquam haec dicuntur a Domino, quia Apostoli dicta sunt, quorum tu professionem habes, quorum conuerterationem sequeris, quorum vitam imitaris. Illos Christus Salvator omnium tamen ministros fidelissimos arctissima paupertate constrinxit. Ut enim scitè scripsit Saluator Massiliensis Episcopus: Laico dixit, si vis vende, quæ possides, ministro autem, nolo posideas. Sed & hoc parum existimauit, ut professione ei substantiae amplioris auferret, nisi etiam peram ipsam acturo iter longum. Apostolo sustulisset, & vnius eum tunica singulariter multo tesseret. Et quid postea? Nec hoc satis est, natus quoque infuper seruos suos illustrare pedibus orbem terrarum iuberet, & calceamenta plantis gelu rigentibus tulit. Quid dici amplius potest? Pedu de Apostoli manu rapuit, & peragrabus vniuersum mundum ministros suis, viuum vnius virgula non reliquit. ] Eum tu statum habes, quo si ei respondeas, minister Christi Salvatoris, immo & amicus fidelissimus constitueris. Nec auro posideas, quia Dominus tuus in hac vita positus, illud non possedit, & matre sua a tribus Magis oblatum statim domo depelli ac pauperibus distribui mandauit. Vnde post paucos dies Salvator ipse in templo oblatus est cum sacrificio pauperum, nempe cum pare turtrum, aut duobus pullis columbarum: Ne argentum eratum est vesceribus terra recordas, siquidem aliud tibi datum est sine villa comparatione pretiosius, nimirum notitia, & gustus eloquiorum Dei, de quibus dictum est: Eloquia Domini eloquia castra, argentum igne examinatum. ] Ne pecuniam habeas, na hæc ad coemendas res necessarias inventa est, tibi autem omnia necessaria gratis tribuuntur, ut curis emendi & vendendi libereris. Ne pera, id est multis sarcinis oneratus incedas, quia in quocumque loco ad quem ab obedientia destinatus fueris, necessaria comite ministerata ad vnum inuenies. Ne duabus tunicis, id est, superfluis induaris, quia cum miseria sit rebus indigere terrenis, necessaria & superflua conquerire nihil aliud est, quam miseria super miseriā accersere. Ne calceamenta queras, ea nimirum, quæ pedes affectuum tuorum, quibus nimis ad res terrenas inclinaris, defendas, aut excuses, sed potius affectus huiuscmodi spirituali magistro denuda, ut tui languoris videas curationem. Ne deum virgam habeas, quam homo ex arboreis ad sejumentum abscondit, id est, ne humanis auxiliis nitaris, nec a favoribus hominum subsum spes, sed spem tuam omnem in Deo collocans, de eius largitate & benignitate confide.

Ips est pater pauperum, ex cuius penu abunde reficiuntur, id est sanctissima Virgo cantavit: Esuientes impluerit bonis, & diuinitus inanis, ] ut sicut diuites sibimet ipsis praesidentes repellit, ita pauperes in eo tamquam in prouidentissimo patre spem collocates, foueat, & impluat. Ips est inspectus in opum in oculi eius in pauperem respiciunt. ] ut ei benignè prouideat, & [ palpebrae eius] quibus interdum, quam lumina claudit, interrogari si lios hominum, ] ut scilicet ad modicum tempus in necessitate reliatos, an sciat feruare confidentiam, examinet. Ips est adiutor, & protector egenorum: cum etiam scriptum legamus: Quia adstitit a dextris pauperis, ut saluam faceret a persequiibus animam meam. ] Et rursus: Tibi derelictus est pauper, orpha-

A no tu eris adiutor. ] Audit profecto orationes illorum, qui propter illum sunt indigentiam & nuditatem amplexi. Vnde & idem sanctus Propheta canit: Iste pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius salvauit eum. ] Ac iterum. Non spreuit, neque despexit deprecationem pauperis. ] Et ut sciamus orationes pauperum exauditas esse, alio loco ait: Pauper, & inops laudabunt nomen tuum. ] Laus enim postulant, beneficium acceptum, & orationis exauditione expont. Si talem patrem habes, o homo, tuis necessitatibus prouidentem, si talem inspectorem, indigentias tuas ad miserendum & subueniendum inspicerem, si talem protectorem te in tribulatione protegerem, ac defendentem, cur in eum, tuum cogitatum non iactas? cur nimis de rebus terrenis sollicitus es? cur luctitudinem immoderatam abiiciens, & cor tuum ab amore terrenorum avocans, non in eo rota securitate confidis? Si aliquam inopiam patenis, gaude, quia actionem praecipuum paupertatis exeres: quia occasione aliiquid Deo offerendi captas, quia martyrij quoddam genus sustentas. Verè enim martyrij genus est voluntaria paupertas. Quid enim mirabilius, aut quod martyrij grauius esse potest, quam inter epulas effurie, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat nos fester ipse appetitus? An non metu coronabitur, qui sic certauerit, mundum abiiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & quod gloriosius est, de se ipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem?

Nec putes Deum tui obliuisci, nece ab illo despici, si post emissum paupertatis votum, statim non tibi prouideat, aut aliiquid tibi deesse permittat. Nam dissimilat quidem, ut fidelitatis indicia praebas, & vt ea, quæ magna sunt, premia sustinentia conqueriras. Solenne enim est illi suis ad modicum quæ relinqueret, ut pugnent, & vincat, atque triumphant, & de hoste spolia reportent. Consulto autem dixi ab ipso iustos quæ relinqui, quia re vera non deseruntur, cum in oculis illius omnia considerantis decenter, & ab eo, qui videtur absconditus, vires ad pugandum & vincendum accipiunt. De quo sunt apud Minutum. Felice haec verba consideratione dignissima. Itaque & nobis Deus nec non potest subvenire, nec despicit cum sit & omnium rex, & amator suorum; sed in aduersis vnumquemque explorat, ac examinat ingenium singulorum, periculis penitit, & que ad extremam mortem voluntate hominis sciscitur, nihil sibi posse perire securus. Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguiamur. Quam pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore congregatur, cum aduersum minas & supplicia, & tormenta componitur, cum strepitum mortis, & horrorem catnicis tripiens inculcat, cum libertatem suam aduersus reges & principes erigit, soli Dei, cuius est, cedit; cum triumphator, & victor, ipsi, qui aduersum se sentientem dixit, insulat. Vicit enim, qui quod contendit, obtinuit. Quis non miles sub oculis imperatoris audaciis periculis provocet? Nemo enim primum percipit ante experimentum, & imperator tamen, quod non habet, non dat: non potest propagare vitam, potest honestare militiam. At enim Dei miles, nec in dolore deseritur, nec morte finitur. Hac ille. ] Non semper eadē hominum examinatio est. Prius iustos dominus mortis periculo, quin & ipsa morte, examinabat; nunc quosdam (deficiente tyranno, qui interficiat) persecutionibus & doloribus probat; alios indigentia re-

Minutum  
Ottavio.

rum

Mat. 18.  
2.

Saluia-  
nus. l. 2.  
deponit.

Luca. 2.  
24.

Psal. 11.  
7.

Luca. 7.  
13.

Psal. 105.

Psal. 108.  
31.

Psal. 10.

14.

Psal. 33.7.

Psal. 22.  
26.

Psal. 73.21.

*Ecc. 31.8.* rum temporalium necessiarum interrogat. Stat ille  
videns patientiam tuam, consideras fiduciam tuam,  
& metiens, ne necessitate opprimaris, vites tuas. Si in  
necessitate politus sustineris, si ponam, nempe  
paupertatem, quam fuisti amplexus, amaueris, ipse  
necessaria suppeditabit, aut sine necessariis cum po-  
tens sit, sustentabit, & tranquillitatem, beatitudinis  
portionem, impetrat. Beatus enim appellatus est,  
[qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia  
thesauris,] qui nimirum nec immoderato affectu  
terrena nimirum auri significata secatur, nec thesa-  
urus, aut rebus huius seculi, sed Deo ubi prouidenti, &  
sui curam gerenti, submittitur.

Quidnam aues? nonne Christum sequi? Nonne  
expeditus, & alacer ad perfectionem tuam assequen-  
dam, & animas, aut exemplo, aut etiam ministerio  
saluandas, existere? Sed Christus Dominus pauperes  
ad suam sequelam eligit, diuites vero, & rebus terre-  
nis adhaerentes, dimitrit. Quo tempore ipse mortalibus  
inter mortales morabatur, multi erant reges in se-  
culo, multi principes, multi diuites, quos posset ad se  
vocare, & ad virtutum observationem, & ministeria  
animarum assumere. At reiectis illis pauperes inuita-  
ui, egenos vocauit, & in suam societatem alcivit. Hi  
audierunt ab ipso: Venite post me, faciam vos fieri  
piscatores hominum. ] Audierunt, & obaudierunt,  
& quia nullis tenebantur vinculis diuitiarum, pro  
ministerio sibi commisso vsq; ad sanguinem decer-  
tarunt. Quam si enim, inquit Petrus Chrysologus,  
virtutibus cognata paupertas, & terrena & celestis  
comprobat disciplina. Athleta ad lucidam nudus in-  
cedit, configit & cum flaccibus natura nudus. Miles in  
acie, nonnulli expeditus astat, & qui tendit ad  
ad Philosophiam, totum quod in rebus est, ante cō-  
temnit. Est ergo virtutibus cognata paupertas, &, si  
pauperes virtutum parens, & socia sic habetur, sa-  
pere conueniet: quare ad virtutis officium pauperes  
Deus sic elegit. Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes  
germanitas combinata, immo paupertas geminata  
in Apostolorum principes eliguntur. Erant censu  
pauperes, sed innocentia locupletes, arte viles, sed  
vitæ merito pretiosi. Captores piscium, sed pescato-  
res hominum iam decreti. Hæc ille. ] Videte voca-

A tionem vestram fratres, ait Paulus, quia non multi  
sapientes secundum carnem, non multi potentes,  
non multi nobiles, sed ignobilia mundi & contem-  
ptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vrea quæ  
sunt destrueret. ] Evidem puto, quia cœcupisces esse  
ex his electis Dei. Linque ergo sapientiam seculi,  
quæ solū sapit terrena querere, & cœlestibus ante-  
ponere. Defere potentiam mundi, quam opes tem-  
porales fulciant, & protegunt. Abiuce nobilitatem  
carnis, quæ saepe ex diuitiis initium assumpit. Esto  
ex pauperibus, quos mundus ignobiles & contem-  
ptibiles putat, ut Deus ea, quæ sit in te vilia destruat,  
& ad perfectionem, & ex illa ad quandam magnam  
gloriam promoueat. Munus tuum est ascendere in  
illam cœlestem patriam, ad quam eliosus sat is &  
difficilis patet accessus, abice onera, ut sublati im-  
pedimentis possis ascendere. Egregie nāque ait Bea-  
tus Isaac Abbas: Er nos quoque ascendimus Hiero-  
solymam. Ideo enim in monasterium descendimus,  
ut Hierusalem ascendamus. Sic nempe, sic alites ut  
in æra se suspendant, profundius omni corpore solo  
vbi resident, se impriment. Hominum quoque, &  
ferarum eadem est ars naturæ, sive natura artis, aut  
potius ars naturalis, ut in sublime salire cupientes,  
humilibus terra, quasi toto corpore insidentes, in-  
curuentur. Arduum est quod ascendere molimur, ar-  
duum quod attentamus penetrare: ideo expeditos nos  
esse conuenit, & subtiles. In altum enim repere onus-  
sum, & per angusta loca, inflatum introire difficile.  
Non inflare hominem diuitias, nec onerare curas,  
nec crapulam grauare, diuinus est miraculi, non hu-  
mana virtus. Sie ille. ] Vult itaque Deus, nos via  
regia ad perfectionem ducere, & ut per semitas pa-  
trum noltrorum ad sanctitatem & virtutum culmina  
properemus. Via autem regia religiosis monstrata,  
& leviter perfectionis nostrorum patrum pedibus  
trita, sancta & veneranda paupertas est. Hanc ingre-  
diamur, & necad dexteram prosperitatum humana-  
rum, nec ad sinistram pusillanimitatis, & diffidentie  
in indigentis deflectamus, ut in illa cœlesti Hiero-  
sylma, quam nullus hostis vastare potest, in æternum  
triumphemus. Amen.

2. Cor. I.  
26.Isaac  
hom. 2.

C

### ORATIO, AD POSTVLANDAM PAUPERTATEM.

**L**ARGISSIME & ditiissime deus, qui diuitias & bona temporalia seculi ho-  
minibus concessisti, non solū ut illis ad vitam hanc mortalem tuendam uteren-  
tur: Sed multo magis ut ex his bonis propter nomen tuum pauperibus dispensatis, ami-  
cos facerent, qui eos in tabernacula aeterna reciperen, & ut omnimoda abiectione ipso-  
rum, qui ad hoc vocati sunt, tibi soli confiderent, & ad perfectionem se disponerent, & tandem  
ad aeternam patriam euolarent: Da nobis, quæ sumus, famulis tuis, a te hac prestantissima vo-  
catione dignatis, paupertatis spiritum, quo omnia terrena affectu & opere deserentes, oca-  
tionis tuae non reluetemur, & nudi Jesum Christum filium tuum pro nobis nudū, & in cruce pen-  
denter sequamur. Fac Domine, si nondum hoc iter perfectionis cœpimus, ut ad eius exordia  
capessenda. & ad votum paupertatis emitendum animosiores simus. Si autem iam cœpimus,  
concede, obsecro, ut votum à nobis emissum fideliter impleamus, ut ab usu rerū superflua re-  
secemus, ut necessaria moderata & sine nimio affectu sumamus, ut indigentiam sancte pau-  
pertatis comitem, sive sani, sive infirmi, grataanter sustinere sciamus, & ut à rebus terrenis, &  
amore ipsarū quantū hec mortalitas rulterit, elögemur: Esto tu, Domine Deus, thesaurus noster  
in terra & in celo: esto centuplū nostrū in hoc seculo, & in futuro: esto dignitas, & altitudo no-  
stra sublimissima, qua cumulate mēti nostra fiat sati, & quidquid extra te est, aut si profit ad  
ascendendū ad te, pro amore tuo sumat: aut si oblit, capta vinculis eiusdem amoris irrideat. Amen.

PARS